

inediti annis Childerici junioris. Sic Mabilionius (a). Quæ de re videtur Pagium (b) et Bollandanos (c). Ejus dies festus celebratur die 20 Martii. Exstat apud Fortunatum (d) luculentum carmen cui præmittitur epistola eidem Martino inscripta, ubi præclare ejus gesta miris laudibus exornantur. De eo item refert alia nonnulla, præter superius allata, Gregorius Turonensis (e).

IV. Plura exstant ipsius ingenii monumenta: « In his, inquit Mariana (f), quoniam crebris sententiis et styli acumine ad Senecæ similitudinem proxime accedit, duo libri *De moribus*, et *De differentiis quatuor virtutum cardinalium*, ejus philosophi nomine inter reliqua ejus opera circumferuntur. Septem itaque beati hujus præsulis typis excudenda tradidimus opuscula, quæ in antea editis divulsa habebantur. Eorum primum inscribitur *Formula honestæ vitæ*, prout illud ex auctoris sententia laudant Trithemius (g) et Sigebertus (h). Idem tamen se legisse testatur sanctus Isidorus sub titulo *De differentiis quatuor virtutum* (i); cui proxime accedit anonymus Mellicensis (j). Hujusmodi libellum dicavit auctor *Mironi regi Galliciæ*: quam nuncupatoriam epistolam velut adhuc ineditam Dacherius in suo Spicilegio evulgavit (k); cum jam pridem eam edidisset Pictavis anno 1544 Elias Vinetus, et quidem alicubi emendationem, ut ex collatione ab editore Dacheriano instituta constat. Prodiit vero libellus idem absque præfatione tum inter

opera Gilberti Cognati anno 1562, Basilee, tum in heroicis et ecclesiasticis Questionibus Boëthii Epistolis, Duaci, anno 1581.

Opusculum istud excipit alterum *De moribus*, cura Leodegarii à Querçu anno 1556, Parisiis, in lucem emissum. Utrumque porro excusum exstat in bibliotheca PP. Lugdunensi (l), ut alias editiones omittamus. Quæ verò sequuntur reliqua quinque; *Præ repellendâ jactantiâ*, *De superbia*, *Exhortatio humilitatis*, *De tra* et *De Paschâ*, ex codicibus manu exaratis descripsit ediditque Joannes Tamayus Salazar in suo Martyrologio Hispano (m), unde illa desumpsimus, subjectis nonnullis conjecturis, quibus melior lectio fortasse alicubi reddatur. Denique septem hisce opusculis subdidimus ejusdem sancti Martini carmina tria, quæ Sirmondo accepta referimus (n), quorum prius Gregorio Turonensi memoratur his verbis (o): « Versiculos, inquit, qui super ostium sunt a parte meridiana in basilica sancti Martini, ipse (Martinus Galliciensis episcopus) composuit. Qui quidem Gregorii locus cl. editori haud succurrit. Porro non est cur hic disseramus neque de *Sententiis patrum Ægyptiorum* ab auctore nostro ex Græco Latine redditis, quas in Vitæ Patrum edidit Rosweydeus; neque de *Collectione canonum orientalium ex Græcis synodis*, quorum item Latinam versionem idem elucubravit; de qua verò Collectione plura videas apud Fabricium (p).

(a) Mabill. loc. cit. pag. 247, num. 15.

(b) Pagi. ad ann. 585, § 8.

(c) Bolland. Act. sanct. tom. III, Mart., pag. 86, C § 1, num. 2.

(d) Fortun. lib. v, carm. 1, Bibl. PP. Lugd. tom. X, pag. 552 seq.

(e) Greg. Turon. lib. 1 de Mirac. sancti Martini. cap. 11.

(f) Marian. de Reb. Hispan. lib. v, cap. 9, tom. 1, p. 177, edit. Hag. Com. 1753.

(g) Trithem. de Scriptor. eccl. cap. 221.

(h) Sigebert. de Scriptor. eccl. cap. 19.

(i) Isid. Hisp. de Vir. illustr. cap. 35; al., 32.

(j) Anon. Mellic. de Scriptor. eccl. cap. 68.

(k) Dacher. Spicil. tom. III, p. 312 nov. edit.

(l) Bibl. PP. Lugd. tom. X, pagg. 382 seqq.

(m) Tamay. Martyrol. Hisp. tom. II, pagg. 317-328.

(n) Sirmond. opp. tom. II, p. 907 seq. edit. Paris.

(o) Greg. Turon. Hist. Franc. lib. v cap. 38.

(p) Fabric. Bibl. Gr. tom. XI, p. 65 seq.

SANCTI MARTINI DUMIENSIS

EPISCOPI BRACARENSIS

OPUSCULA SEPTEM

OPUSCULUM PRIMUM.

FORMULA HONESTÆ VITÆ.

AD MIRONEM REGEM GALLICIÆ *.

Gloriosissimo ac tranquillissimo, et insigni catho- D milis episcopus. Non ignoro, clementissime rex, flammæ fidei prædito pietate, Mironi regi Martinus hu- grantissimam animi tui sitium sapientie insatiabiliter

* Hanc præfationem desumpsimus ex Dacherii Spicilegio, tom. III, pag. 312. Eam laudat Trithemius lib. de Scriptor. eccl. cap. 221

● poculis inhiare, eaque te ardentem quibus moralis ^A scientiæ rivuli manant, fluentia requirere. Et ob hoc humilitatem meam tuis sæpius litteris admones, ut Dignationi tuæ crebro aliquid per epistolam scribens aut consolationis aut exhortationis alicujus, et quæliacunque sint dicta offeram ^B. Sed quamvis hoc a me exigat laudabile tuæ pietatis studium, scito tamen tenuitatis meæ insolentem continuo a cautis impingi propterviam, si regalis reverentiæ gravitatem aut assiduis aut vilibus, ut libet, dictis adjungam. Et ideo ne aut ego licentia piæ invitationis abuterer loquendo, aut vestro magis desiderio obsisterem reticendo, libellum hunc nulla sophismatum ostentatione politum, sed planitie puræ simplicitatis excerptum, capacibus fidenter auribus obtuli recitandum. Quem non vestræ specialiter instituo potestati, cui naturalis sapientiæ sagacitas præsto est, sed generaliter his conscripsi, quos ministeriis tuis astantes hæc convenit legere, intelligere et tenere. Titulus autem libelli est: *Formula vitæ honestæ*; quem idcirco tali volui vocabulo superscribi, quia non illa ardua et perfecta, quæ a paucis et peregregiis Deicolis parantur, instituit; sed ea magis commonet, quæ et sine divinarum Scripturarum præceptis, naturali tantum humanæ intelligentiæ lege etiam a laicis recte honesteque viventibus valeant adimpleri.

Quatuor virtutum species multorum sapientium sententiis definitæ sunt, quibus animus humanus componi ad honestatem vitæ possit. Harum prima est prudentia; secunda magnanimitas; tertia, continentia; quarta, justitia. Singulæ tibi in officiis quæ subsunt, annexæ sunt, ac bene moratum virum efficiunt.

CAPUT PRIMUM.

De prudentia.

Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem recte vives, si omnia prius existimes et perpenas, et dignitatem rebus non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. Nam scire debes quia sunt quæ videantur esse bona et non sunt, et sunt quæ videantur non bona esse et sunt. Quæcunque autem ex rebus transitoriis possides, non mireris, nec magnum existimes quod caducum est; nec apud te quæ habes tanquam aliena servabis, sed pro te tanquam tua dispenses et utaris. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris; et prout rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori; nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes: sicut manus quæ eadem est, et cum in palmam extenditur, et cum in pugnum astringitur. Prudentis proprium est examinare consilia, et non cito facili credulitate ad falsa prolabi. De dubiis non definias, sed suspensam teneas sententiam. Nihil inexpertum affirmes, quia non omne verisimile statim verum est; sicut et sæpius quod primum incredibile

videtur, non continuo falsum est. Crebro siquidem faciem mendacii veritas retinet. Crebro mendacium specie veritatis occulitur. Nam sicut aliquando tristem frontem amicus, et blandam adulator ostendit; sic verisimilitudine coloratur veritas et ut fallat vel subrepat, coloratur. Si prudens esse cupis, in futurum, prospectum intende; et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone. Nihil tibi subitum sit, sed per otium ante conspicias. Nam qui prudens est, non dicit: Non putavi quidem hoc fieri; quia non dubitat, sed exspectat; nec suspicatur, sed cavet. Cujuscunque facti causam require: cum initia inveneris, exitus cogitabis. Scito te in quibusdam debere perseverare, quia cœpisti: quædam vero nec incipere, in quibus perseverare sit noxium. Prudens fallere non vult, falli non potest. Boni est vjri, etiam in morte neminem fallere. Opiniones tuæ judicia sint. Cogitationes vagas et inutiles, et velut somnio similes, non recipies; quibus si animus tuus ac oblectaverit, cum omnia disposueris, tristis remanebis: sed cogitatio tua stabilis, et certa sit; sive deliberet, sive quærat, sive contempletur, non recedat a vero. Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parce, vituperà parcius. Nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, ut immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. Testimonium veritati, non amicitie reddes. Cum consideratione promitte plenus quæ promiseris præsta. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur. Præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Nam qui nil de præterito cogitat, perdit vitam, qui nil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Proponas in animo tuo futura mala et bona ut illa sustinere possis et ista moderari. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato: et requies ipsa plena sit sapientiæ studiis, et cogitationibus bonis: nam prudens nunquam otio marcet. Habet autem aliquando remissum animum, nunquam solum. Accelerat tarda, perplexa expedit, dura mollit, exæquat ardua. Scit enim quid qua via aggredi debeat: et distincte cuncta videt. Consilium peritorum, ex apertis obscura æstimat, ex parvulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Non te moveat dicentis auctoritas, nec quis, sed quid dicat, intendito. Nec quam multis, sed qualibus placeat, cogita. Id quære quod invenire possis. Id discere, quod potes scire. Id opta, quod optari coram bonis potest. Nec altiori te rei imponas, in qua tibi stanti tremendum, ascendenti cadendum sit. Consilia tibi salutifera advoca. Cum tibi alludit vitæ prosperitas, tunc te velut in lubrico retinebis ac sistes, nec tibi dabis impetus liberos, sed circumspecies quo eundem sit, vel quousque.

^a Sic ex editione Vineti Pictavis vulgata anno 1544 Baluzius; antea mendose legebatur *mortalis*. — Editor Bacherianus, qui ex eadem editione, mox tuis

addidit ante illa *sæpius litteris*.

^b Sic idem rescribit, ubi antea erat *afferam dictu*.

CAPUT II.

De magnanimitate.

Magnanimitas vero, quæ et fortitudo dicitur, si insit animo tuo, cum magna fiducia vives liber, intrepidus, alacer. Magni animi hominis bonum est non vacillare, constare sibi, et finem vitæ intrepidus expectare. Nil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit; et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, vindicare potuisse. Scito enim honestum et magnum genus vindictæ esse ignoscere. Neminem susurro appetas, neminem suffodias, palam aggredere. Non geres, conflictum nisi iudixeris; nam fraudes et doli imbecillum decent. Eris magnanimus, si pericula nec appetas, ut temerarius, nec formides, ut timidus; nam nil timidum facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

CAPUT III.

De continentia.

Continentiam vero si diligis, circumeide superflua et in arcum desideria tua constringe. Considera tecum, quantum natura poscat, et non quantum cupiditas exspectat. Si continens fueris, eo usque pervenies, ut te ipso contentus sis. Nam qui sibi ipsi satis est, cum divitiis natus est. Impone concupiscentiæ tuæ frenum et modum, omniaque blandimenta quæ occultam voluptatem trahunt, rejice. Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Observa ne in convivio aut in qualibet vitæ communitate, quos non imitaberis, damnare videaris. Nec presentibus delictis inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit, nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapor. Desideria tua parvo redime, quia hoc tantum curare debes, ut desinant: atque quasi ad exemplar compositus divinum, a corpore ad spiritum, quantum potes, te festina reducere. Si continentiam studes, habita non amœne, sed salubriter: nec dominum esse velis notum a domo, sed domum a domino. Non tibi ascribas quod non eris, nec quod es; nec majus quam es videri velis. Hoc majus observa, ne paupertas tibi immunda sit, nec parcimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida; et si tibi res exiguæ sunt, non tamen sint angustiæ. Nec tua dedeas, nec aliena mireris. Si continentiam diligis, turpia fugito ante quam accedant; nec quemquam alium vereberis plus quam te. Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. A verbis quoque turpibus abstineto, quia eorum licentiam imprudentiam nutrit. Sermones utiles magis quam facetos et amabiles ama, rectos potius quam obsecundantes. Miscebis interdum seriis jocos, sed temperatos, et sine detrimento dignitatis ac verecundiæ. Nam reprehensibilis risus est, si immodicus, si pue-

Ariliter effusus, si muliebriter fractus. Odibilem quoque hominem facit risus, aut superbus, aut clarus [An elatus?], aut malignus et furtivus, aut alienis malis evocatus. Si ergo ipsos jocos exigis, hoc quoque dignitate sapientiæ gere, ut te nec gravent tanquam asperum, nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. Sales tui sint sine dente, joci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu: quies tibi, non desidia erit; et cum ab aliis luditur, tu sancti aliquid honestique tractabis. Si continens es, adulationes evita: sitque tibi tam triste laudari a turpibus, quam si lauderis ob turpia. Lætiior esto, quoties displices malis, et malorum de te existimationes malas, veram tui laudationem ascribe. Difficillimum continentiam opus est, assentationes adulatione repellere, quarum sermones animum voluptate resolvunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis, nec ad tuam promerendam per hanc aditum pandas. Non eris audax, nec arrogans: submitte te, non projicies; gravitate servata, admoneberis libenter, et reprehenderis patienter. Si merito objurgabit aliquis, scito quia profuit; si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda timebis verba. Esto vitiorum fugax ipse; aliorum vero neque curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor, sed sine exprobratione correptor, ita ut admonitionem hilaritate prævenias, et errori facile veniam dato. Nec extollas quemquam, neque deicias. Dicentium esto tacitus auditor, audientium promptus receptor. Requirenti facile responde, contemnti facile cede: ne in jurgia execrationesque discedas. Si continens es, animi tui motus corporisque observa, ne indecori sint. Nec illos ideo contemnas quia latent; nam nil differt, si nemo videat, cum tu ipse illos videas. Mobilis esto, non levis; constans, non pertinax. Alicujus rei scientiam habere te nec ignotum sit, nec molestum. Omnes tibi pares facies: sed inferiores superbiendo non contemnes. Superiores, recte vivendo, non metuas. In reddenda officiositate, neque negligens, neque exactor appareas. Cunctis esto benignus, nemini laudans, paucis familiaris, omnibus æquus. Severior esto in judicio quam sermone, vita quam vultu: cultor clementiæ, detestator sævitæ, bonæ famæ, neque tuæ seminator, neque alienæ invidus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minime credulus vel malignus, sed potius his qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus subrepunt, oppositissimus. Ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus et humilis: occultator virtutum, sicut alii vitiorum. Vanæ gloriæ contemptor, et bonorum quibus præditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Severus, non sævus; sed hilarem non aspernens. Sapientiæ cupidus et docilis: quæ nosti, sine arrogantia postulanti imparties; quæ nescis, sine occultatione ignorantiam tibi postula impartiri. Non conturbabit sapiens mores publicos, nec

populorum in se vite civitate convertet. Justitiæ post hæc virtus est.

CAPUT IV.

De justitia.

Quid est Justitia, nisi naturæ tacita conventio, in adjutorium multorum inventa? Justitia non nostra constitutio, sed divinâ lex est, vinculum societatis humanæ. In hac non est quod æstimemus quid expediat: expedit tibi, quidquid illa dictaverit. Quisquis ergo hanc sectari desideras, Deum timè prius et ama, ut ameris a Deo. Amabilis eris Deo, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, et nulli nocere. Et tunc te justum virum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur et diligent. Justus enim ut sis, non solum non noceris, sed etiam nocentes prohibebis: nam nil nocere, non est justitia, sed abstinentia alieni est. Ab his ergo incipe, ut non auferas, ut ad majora proveharis, et aliis ablata restituas. Raptores quoque ipsos ne aliis timendi sint, castiga et cohibe. Ex nulla vocis ambiguitate controversiam neces, sed animi qualitatem speculare. Nihil tibi intersit, an firmes, an jures ^a. De fide et religione serias agi, ubicunque de veritate tractatur: nam si jurejurando Deus invocetur, et non invocanti testis est, amen non transies veritatem, ne justitiæ transeas legem. Quod si aliquando coarcteris uti mendacio, utere non ad falsi, sed ad veri custodiam ^b; et si contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, sed potius excusaberis: quia ubi honesta causa est, justus secreta non prodit, tacenda enim tacet, loquenda loquitur: atque illi aperta, et secura tranquillitas, ut dum alii vincant ^c malis, vincantur ab illo mala. Hæc ergo si studere curaveris, lætus et intrepidus cursus tui finem expectabis, prospicies hæc tristitia hujus mundi hilaris, tumultuosa quietus, extrema securus.

CAPUT V.

De mensura et moderatione prudentiæ.

His ergo institutionibus observatis, quatuor virtutum species perfectum te facient virum, si mensuram rectitudinis eorum æquo vivendi sine servaveris. Nam si prudentia terminos suos excedat, calida et pavida commiseris, investigator latentiam, et scrutator quaecunque noxarum ostenderit, notaberis timidus, speciosus [*forte, suspiciosus*], attentus, semper aliquid quærens, semper aliquid timens, semper aliquid dubitans, et subtilissimas suspensiones suas ad animi tui apprehensionem impingas. Monstraberis digito astutia plenus; versipellis, et simplicitatis inimicus, contemplatorque culpæ, et postremo uno nomine vocaberis a cunctis, malus homo. In has

^a Cautè lege: nam multum interest inter simplicem assertionem et juramentum. Et hoc sane opus est religionis: illud non. Forsan hyperbolice ita locutus est, quod vir probus atque perfectus, Est est, Non non, nisi major adsit necessitas, contentus esse debet, ut Christus dicit in Evangelio.

^b Cautè ista lege: nam certum est, mendacium

ergo maculas prudentia immensurata perducet. Quicumque in illa mediocri lance persistit, nec obtusum in se aliquid habet; nec versutum.

CAPUT VI.

De moderanda fortitudine.

Magnanimitas autem si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum: et in quasunque extollentias dictorum actorumque, neglecta honestate, festinum; qui momentis omnibus supercilium subrigens, et bestiarius etiam quieta excitat, alium ferit, alium fugat. Sed quamvis audax sit impugnator, tamen multa extra se valentia ferre non poterit. Sed aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

CAPUT VII.

De modo temperantiæ.

Continentia deinde his terminis astringat: cave ne parcus sis, ne speciose et timide manum contrahas. Ne in minimis quoque speculum ponas. Nam talis et tam circumcisæ vilitis putabitur integritas. Hæc ergo mediocritatis linea continentiam observabis, ut nec voluptati deditus, prodigus et luxuriosus appareas nec avara tenacitate sordidus aut obcurus existas.

CAPUT VIII.

Qualiter sit moderanda justitia.

Justitia postremo eò mediocritatis tibi itinerè regenda est, ut nec ductu jugiter [*Al. turpiter*] levi immotam semper animi rationem negligentia subsequatur. Dum neque de magnis, neque de minimis errantium vitis corrigendi curam geris, sed neque licentiam peccandi, aut studentibus tibi blande, aut illudentibus proterve permittis, neque rursus nimia rigiditate et asperitate, nil veniæ aut benignitati reservans, humanæ societati durus appareas. Ita ergo justitiæ regula tenenda est, ut reverentia disciplinæ ejus neque nimia negligentia communitate despecta vilescat, neque severiori atrocitate diuturna gratiam humanæ amabilitatis amittat.

Conclusio præmissorum.

Si quis ergo vitam suam ad utilitatem non tantum pariat, sed multorum inculpabiliter componere desiderat, hæc prædictarum virtutum formulam pro qualitatibus temporum, locorum, personarum atque causarum sequatur: eo mediocritatis insistens, quo per abrupta altriussecus præcipitia, aut ruentem corporis devitet insaniam, aut efficientem puniat ignaviam ^e.

quantumvis officiosum, nunquam esse licitum. Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 140. art. 3. et Sixtum Senensem lib. 7, Bibl. annot. 107.

^e In ms. Cocice his verbis desinit hoc opusculum: Aut deficientem contemnat invidiam, ut observat laudatus editor Bucherianus.